



Romanorum in fastis cana antiquitas an-
notatum reliquit, Hispaniam, & Galliam esse duo firmis-
sima Romani Imperii brachia: Quod illis robur ac potentia quartæ Monar-
chiæ præcipuè staret. Eadem ratione accuratioribus rerum altimatoribus
videri merito debet, clementiam & justitiam esse duo validissima brachia gubernationis,
quæ suâ diuturnitate & nobilitate immortalitatem quibuscunq; regnis spondeant, atq; in-
signi utilitate pretiosissima mundi opera & oras immane quantum ante eant: quarum al-
teram dextrum, alteram sinistrum Imperii latus claudere par est; his enim omnis regimi-
nis majestas nititur, & continetur, his reges, Principes, & duces tuti redduntur, his subdi-
torum salus publicè acquiritur & conservatur retineturq; constantè: & quidem lux na-
tura & ratio rerum Magistra Principatum invenit, atq; fundavit, quò dispersi populi justi-
tia concordēs in unum corpus coalescerent. Neq; enim diu stare possunt concordia fo-
mentis uniti, nisi & justitiæ legibus vinciantur, firmenturq;. Homo enim cum sit animal
sociale, & bono communi genitus, nec ei societas, nec communis boni securitas stabilis
erit, nisi quod cuiq; debetur, ex æquo solvatur. Quare ut justitia, ejusq; integritas in-
violata semper administretur, optimus quisq; & integerrimus communi suffra-
gio deligitur, ut illum velut solem omnes contueantur, & lucem virtutis ab eo acci-
pant. Hujusmodi enim Principis oculi, vultus irretortus, & continentia metuenda,
nequitiam irruentem, & vitiōrum insolentiam, ut lux tenebras, fugat dissipatq;. Felix
respublica justo principe: infelix ter & amplius, pro-ruente justitia. Quare vere & sa-
pienter olim dixit Hesiodus.

Hoc uno Reges olim sunt sine creati,
Dicere jus populis, injustaq; tollere facta.

Rex enim moratus est vita totius reipublicæ; & contra perniciēs. Hoc ipsum An-
dronicus Byzantinus Imperator sensit, scripsitq; ad præsides provinciarum, his verbis.
*Aut Injurias relinqvite; aut vitam. Nam vos injustè agere, & vivere nec DEO gratum,
nec mihi ejus ministro ferendum.* Quid enim sunt Imperia sine justitia, nisi efferata la-
trocinia? Verum quia timor ex rigore justitiæ natus, nec satis fidus securitatis comes,
teste enim Tacito in vita Agricola, *metus & terror infirma vincula civitatum, quæ ubi remo-
veris, qui timere desierint, odise incipient.* DEUS ideo naturæ & regnorum auctor & ar-
biter justitiæ clementiam sociavit, tanquam firmam pacis & otii beati conciliatricem.
Quam etsi in omnium animos vult descendere, nullum tamen clementia ex omnibus ma-
gis, quam Principem Regemq; decet. Clementia quippe animos populorum principi
quasi aurata compede devincit, quos metus, terrorq; dividit, & in consilia distrahit diver-
sa. Inermis est metus, ut populi contineantur, quamvis domiti videantur. Silent ar-
ma in metu per metum eruptura: summus securitatis comes Principi est clementia. Hoc
præclare docuit Dion Rex Siciliæ Juniolem Dionysum, quo se probaret non
Tyrannum, sed Regem. Non (inquit) *Adamantinas compedes, non, ut tuus dixit pa-
rens, metum, vim, ingentem classem esse firmitatem regni; sed benevolentiam, sed studium &*

Vide Plu-
tarchum.